



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Sectio III. De actis Judicij, modo procedendi, & alijs quibusdam observandis
in Judicio, & quomodo finiatur Judicium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO III.

De actis Iudicii, modo procedendi, & aliis quibusdam observandis in Iudicio, & quomodo finiatur Iudicium?

§. I.

An acta Iudicii per Iudicem existimatum, qui verè Iudex non est sine valida?

Qui existit in possessione officii Iudicis, quamvis ob defectum juris, aut tituli veri verus Iudex non sit, si tamen titulum coloratum, seu putativum habeat (eo quòd v. g. potestatem ad actus jurisdictionis exercendos ab eo acceperit, qui talem potestatem dare potuit) etsi error publicus, communis ac probabilis, pro vero & legitimo Iudice eum communiter habeat, acta per illum ut Iudicem facta, valida sunt, supplente jure omnem defectum, qui à jure positivo suppleri potest, ob boni communis & publici necessitatem, prout clarè habetur in *L. Barbarius ff. De officio Prætor. 3.* & desumitur etiam ex *Can. 1. §. Veruntamen causa 3. Qua 7.* Ille tamen qui titulum coloratum non habet, sed malâ fide se intrusit, absque legitima Superioris auctoritate, in officium Iudicis, nihil prodest ad eorum, quæ ut Iudex egerat, valorem, publicus & communis error, jure scilicet defectum non supplente, nisi in officii sui possessione sit Iudex cum duplici illo requisito: valde tamen probabile etiam est, quòd illius etiam Iudicis acta valida sint, qui nullum quidem coloratum, aut apparentem titulum habet,

bonâ tamen fide suam jurisdictionem possidet, & communiter pro vero Iudice habetur, ita ut in tali casu communis error solus sufficiat, ad supplendum ab Ecclesia defectum legitimi tituli, ut colligitur ex *Cap. Consultationibus 19. de Iure patron.* Præsertim si talis, sciente saltem illo, qui titulum legitime conferre potest, in sua possessione existat.

§. II.

An acta in uno Iudicio valida, valida etiam sint, & fidem faciant in altero Iudicio?

Acta coram Iudice incompetente non valent, neque fidem faciunt coram Iudice competente, ut sumitur ex *Cap. Etsi Clerici 4. hoc tit.* & hinc confessio coram Iudice incompetente facta, confitenti non præjudicat, ut exinde condemnari possit; potest tamen etiam hæc confessio iudicium, & præsumptionem criminis parere, & vim habere confessionis extra Iudicialis, si non per vim & metum tormentorum extorta, sed spontè facta fuerit; cum indignum videatur, ut, quod quisque suâ voce confessus est, postea infirmet, proprioque testimonio resistat.

Quæ tamen coram Iudice competente in uno Iudicio acta fuerunt (circa merita causæ probanda, non tamen circa ordinationem litis) valida etiam sunt, & probant, ac fidem faciunt coram altero Iudice competente, dummodò inter easdem personas, & in ordine ad eundem finem, seu effectum acta talia producantur, argu. *Cap. 2. De except. in 6.* & juxta *Can. Multi 18. causa 2. Qua. 1.* Quia bonum commune exigit, ut unus Iudex juvet alterum circa causam executioni mandandam;

dam; & hinc, sicuti sæcularis Iudex juvare debet Ecclesiasticum, ad latæ sententiæ sive censuræ observationem, ita Ecclesiasticus etiam juvare debet Sæcularem ad ad executionem sententiæ à se latæ, censuris etiam compellendo damnatum ad observationem sententiæ à sæculari Iudice latæ, ita tamen, ut Ecclesiasticus Iudex prius examinare possit processum à Iudice sæculari factum tanquam hoc Superior, non tamen sæcularis, tanquam Inferior, processum ab Ecclesiastico Iudice factum.

Quòd si tamen ad diversum finem tendant diversa judicia, acta in uno iudicio non probant in altero, nec fidem faciunt, & hinc si coram Iudice sæculari actum fuit ad pœnam legalem, non probant eadem acta coram Iudice Ecclesiastico ad pœnam Canonicam; nec testimonia, quæ probabant in Iudicio summario, plenâ semper fidem faciunt in iudicio ordinario.

§. III.

De ordine seu modo procedendi summarie, & de plano in Iudicio.

Quòd Iudicium aliud sit solemne, ordinarium & plenarium, aliud verò sit summarium & extraordinarium, ex dictis jam patet, uti etiam ex diverso modo procedendi utrumque Iudicium inter se differat: hoc ergo §. modus tantum summarii processûs sive iudicii explicatur.

Et primò quidem certum est, quòd duas potissimum ob causas processus hic summarius instituatur. Primò quia sunt tales causæ, quæ celerem expeditionem requirunt, quales sunt pleræque causæ Ecclesiasticæ; causæ quæ incidenter tantum cognoscuntur; causæ beneficiales,

decimales, lites mercatorum, ob nimiam frequentiam; causæ alimentorum, & tributorum, seu collectarum; causæ naufragorum, pauperum, & miserabilium personarum; causæ mercedum & salariorum; quando agitur de Tutore dando &c.

Secundò institui solet processus tantum summarius, si agatur de causis modicis, in quibus de parvo & facile reparabile damno agitur, quales sunt causæ civile sive delicto. v. g. modicæ summarie, respectu personarum litigantium &c. aut si agatur de delictis levibus, aut lis sit mota inter personas viles, & imperitas; aut si agatur Iudicio possessorio momentaneo &c. inter quos modos illud tamen discrimen est, ut, si procedatur summarie propter causæ levitatem, plena probatio necessaria non sit, sed sufficiat etiam semi plena, quia agitur de modico præiudicio. Si verò summarie agatur, quòd causa exigit celerem expeditionem, plena plerumque probatio requiritur, causæ tamen qualitate, & gravitate spectata. Videatur *Clementin. Dispensatam 2. h. tit.*

Tertiò Certum est, quod in processu hoc summario ea, quæ juris naturalis urgentium sunt, non sint omittenda, uti est citatio partis, iuramentum calumniæ aut malitiæ, de veritate dicenda, petitio faciendâ ab Actore; terminus ad exhibendas probationes omnes necessarias, & legitimas defensiones producendas &c. ea verò, quæ juris positivi tantum humani solemnitates sunt, nihil in hoc processu summario necessaria sunt; & hinc non requiritur necessariò Libelli oblatio, litis contestatio, variæ dilationes, multa

multa Advocatorum, aut partium iurgia, lype; fluxu probationes &c. videatur *Clement. sepé 2. De V. S. & Extravag. Frequentes inter communes h. Tit.*

§. IV.

De modo procedendi Iudicialiter contra Clericos criminosos.

EX cap. *Cum non ab homine 10. h. r.* modus hic desummi debet, ubi statuitur, quod Clericus (extenditur hoc communiter etiam ad Regulares) in quocunque ordine constitutus, etiamsi primâ tonsurâ tantum initiatus esset, propter furtum, homicidium, perjurium, aut aliud simile grave crimen, si de hoc legitime convictus fuerit, ab Ecclesiastico Iudice sit deponendus (sive verbaliter degradandus per sententiam Iudicis Ecclesiastici) & si depositus incorrigibilis fuerit, quod sit excommunicandus, ac crescente deinde contumaciâ anathematizandus (cum solemnitate maiore, de qua infra in *L. 5. Excommunicari*) & si necdum respuerit, sed in profundum malorum venerit, cum Ecclesia non habeat ultra, quod faciat, per sæcularem potestatem, cui realiter degradatus tradendus erit, coerceatur, & puniatur. Putant quidem aliqui, modum hunc, contra Clericos criminosos non semper esse observandum, sed posse Clericum facinorosum in gravissimis delictis depressum, furtis v. g. sacrilegis, parricidiis, latrocinis &c. non expectatâ incorrigibilitate, statim degradari realiter, & tradi potestati sæculari puniendum, ut bono publico, & Cleri reverentiæ magis consulatur; verum alii communius, & probabilius putant, etiam propter enormia scelera, non posse Clericum statim tradi

Curie sæculari puniendum, nisi sit incorrigibilis, aut nisi casus sit à jure exceptus, non tantum ob textum cit. Cap. *Cum non ab homine* generaliter loquentem, sed ob textum etiam cap. *Tua 6. de poena.* Ubi de latrocinis, & furtis qualificatis Clericorum puniendis respondet Pontifex, deponendos eos esse (verbaliter) & ad agendam poenitentiam in Monasterium detrudendos, vel in carcerem concludendos, ergo nec ob gravissima delicta commissa statim sunt realiter degradandi, & Curie sæculari tradendi, quod apertius esse patet ex Cap. *in fama 35. De sent. excommunicationis.* Sunt autem in jure casus aliqui excepti, in quibus si deliquerint Clerici, non expectatâ incorrigibilitate, sæculari Curie puniendi tradi possunt. Crimen hæresis scil. cap. *Excommunicamus, 13. §. Damnati.* & cap. *Ad abolendam 9. §. 1. de hereti.* Crimen falsationis litterarum Apostolicarum c. *Ad falsariorum 7. de Crimine falsi.* Conspirationis, seu insidiarum structurarum contra proprium Episcopum. *Can. si quis 18. caus. 11. q. 1.* crimen assassini, crimen nefandum contra naturam; non ordinati in Sacerdotes, si missas tamen faciant, confessiones excipiant &c.

§. V.

De aliis quibusdam observandis à iudice, vel partibus litigantibus in Iudicio.

Citatio per edictum, per quam firmatum iudicium, perpetuatur, & prævenitur iurisdicção, non tantum locum habet respectu Pontificis citantis, aut ex illius commissione juxta *Clement. Dudum 1. h. tit. & Extravag. 2. inter Com. de dol. 63*

G g 3

continua

contum. sed respectu etiam alterius cuiusvis inferioris Iudicis, si scilicet, impediatur aliquis, ne citatio personalis ad eum, sicut ad domum illius facta perveniat.

In libello oblato Iudici non necessarium, de Iure Canonico, nomen actionis exprimi debet *Cap. Dilecti 6. h. 2.* sed satis est, si factum & rei veritas ita exponatur, ut appareat jus actoris & causa petendi, quidquid sit de Iure Civili, juxta quod aliqui volunt, exprimi debere nomen actionis ab Actore, quam intentat: alii tamen etiam de hoc Iure negant; certe consuetudo magis videtur observare jus Canonicum, nisi ex eodem facto plures actiones oriri possint, ubi exprimenda actio, ut appareat, quid petat Actor; quod ipsum tamen omitti potest, si ex aliis conjecturis satis colligi possit mens & actio Actoris.

Si Iudex habeat causam consimilem in specie cum causa sibi commissa, recusari potest tanquam suspectus, *Cap. Causam qua 18. h. 2.* eo quod parti videatur favere, cum qua consimilem causam habet, & merito presumi possit, ita iudicaturus in causa sibi commissa, prout iudicari cuperet in causa sua. Si Iudices de causa principali, & exceptionibus prejudicialibus simul cognoscant, vel super ipsa causa principali lite nondum contestata testes recipiant, potest ab illis licite appellari *cap. exhibita 19. h. 2.* Vide de his & aliis auctor. Method. in hoc §. cujus doctrina etiam alibi traditur.

§. VI.

Quomodo finiatur Iudicium?

Iudicium sive instantia Iudicii duobus modis finitur, per lapsum temporis;

& per absolutionem ab observatione Iudicii: per lapsum temporis, de Iure Civili, per instantiam in causa criminali intra biennium; in causa vero Civili intra triennium à litis contestatione numerandum *L. Properandum 13. Cod. h. 1.* De Iure tamen Canonico nec per lapsum triennalis, nec per lapsum biennalis temporis expirat instantia, sive in Civilibus sive in criminalibus causis. Uti docet *Gloss. communiter recepta in c. Venerabili 20. h. 1.* Quia non expediebat dictam Legem Civilem, de pereunte instantia per lapsum certi temporis recipi, cum tali modo non consuleretur expediendis civilibus, sed hæc potius fierent immortaliter cum de Iure Civili finito triennio lites eandem inchoare iterum potuissent partes, ac si nihil unquam motum fuisset, & frequentibus appellationibus à sententiis interlocutoriis, quæ de Iure Canonico concessæ sunt, faciliè ultra tempus constitutum lites extenderentur. Concedit quidem *Trident. sess. 24. c. 20. de refer.* quod si causa ad forum Ecclesiasticum deducta, in prima instantia coram locorum Ordinariis cognoscenda, infra biennium à die motæ litis non terminetur, liceat partibus, ad aliud iudicem superiorem causam illam deducere, ita tamen ut acta elapso biennio aut instantia non pereant; sed partes, si velint, vel coram eodem iudice litem proseguere possint, vel si lubeat, superiorem adire, causam tamen proseguere possint, ubi inferior defuit, & in eodem, quo fuit apud inferiorem statu, assumere. Hæc in puncto iuris vera sunt, consuetudo tamen videtur potius approbare Iuris Canonici sanctiones, quam quæ Iura Civilia statuunt. Per

Per absolutionem ab observatione iudicii perit instantia, si in progressu litis appareat, intentionem ac petitionem Actoris in libello ineptè propositam fuisse, quo in casu absolvitur reus ab instantia hujus Iudicii, reservato tamen Actori jure iterum agendi, & rectius libelli formandi, prout habetur in *c. Examinata 15. h. tit.* ut reo provideatur, ne respondere debeat ad ineptè petita, & tamen etiam Actor non multum patiat, ob ineptè formatum libellum, sed rebus suis, melius hunc formando, consulere possit: & hinc si in principio statim, antelitem contestatam, libelli ineptitudo appareat, statim libellus talis à iudice ex offi-

cio rejici debet, & lis non contestari ante libellum melius formatum, nisi ex aliis circumstantiis & conjecturis satis appareat intentio, & petitio Actoris, quæ etiam non nominatà actione ex æquitate observari debet. Sunt insuper alia, quæ faciunt iudicium omnino nullum, in competentia scilicet Iudicis, Persona Actoris, aut Rei, quæ in iudicio agere, aut conveniri non possunt; Res ipsæ, quæ non possunt coram hoc Iudice tractari, defectus Citationis; defectus & ommissio substantialium solemnitatum; ordo juris non servatus, qui ad substantiam iudicii pertinetur, de quibus tamen alibi.

TITULUS II.

DE FORO COMPETENTE.

SECTIO I.

De foro competente in genere, & variis modis, quibus constituitur forum competentis.

§. I.

Quis dicatur Iudex competentis, & quod forum competentis?

Forum competentis aliud non est, quam tribunal Iudicis, cujus jurisdictioni in tali causa reus subicitur, sive ubi res ab Actore conveniri potest, ac debet, juxta illud, quod ordinariè forum rei actor sequi debeat, & hinc Iudex competentis dicitur ille, cujus jurisdictioni subicitur Reus, sive coram quo actio &

lis proponi, institui, ac finire potest. Est autem Iudex competentis alius simpliciter competentis, quem partes litigantes adire possunt, & per se debent, tanquam ordinatum suum Iudicem. Alius per se quidem incompetentis est respectu partium litigantium, cujus tamen jurisdictionem partes in se prorogare possunt. Alius denique est simpliciter respectu harum partium incompetentis, qui nec ordinariam in partes litigantes jurisdictionem habet, nec per partium consensum jurisdictione ejus in has partes prorogari potest; cujus sententia ipso jure est irrita, & contra hujus sententiæ nullitatem semper excipere possunt partes, ita ut nunquam in rem judicatam transeat, si certò constet de Iudicis absoluti incompetentis.

§. II.